

tire quod Deus dicitur juste facere, solum secundum ordinem unius creature ad aliam, et non secundum ordinem creature ad Deum; cuius oppositum dicit, 1 p., ubi supra allegatum est (q. 21, art. 4, ad 3^{um}). Sed non est ibi magna contradicatio: quia intendit, in *Quarto*, dicere quod alias modus justitiae est hic quam ibi. Quod patet: quia, 4. *Sentent.*, dist. 46, q. 1, art. 1, in solutione primae questionis, sic dicit: « Duo modi assignantur divinae justitiae: unus, in quantum reddit pro meritis; alias, secundum quod facit illud quod decet suam honestatem, etc. » Et simile dicit, 1 p., q. 21, art. 4.

Ad argumentum contra questionem, patet responsio per praedicta (α).

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIO XVI.

QUÆSTIÖ I.

UTRUM PECCATUM VENIALE POSSIT REMITTI SINE MORTALI

SIRCA sextamdecimam distinctionem 4. *Sententiarum* queritur: Utrum peccatum veniale possit remitti sine mortali.

Et arguitur quod sic. Peccato quod sufficienter punitum est, non debetur alia pena; quia non judicat bis Deus in id ipsum. Sed peccatum veniale potest aliquis in mortali existens sufficienter in seipso punire, cum debeatur ei pena finita. Ergo non reservabitur ulterius ad penam. Sed nunquam absolvitur aliquis a reatu poena, nisi prius absolvatur a culpa. Ergo, manente peccato mortali, potest veniale dimitti.

In oppositum arguitur. Quia Gregorius (6) dicit quod *veniale peccatum obscurat mentem, sed mortale obtenebrat*. Sed obscuritas non removetur nisi per lucem; lux autem est spiritualis gratia, que etiam mortale delet. Ergo non potest dimitti veniale sine dimissione mortalis.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

(α) Cfr. presentim art. præs., § 1, 1, ea quæ secundo loco dicuntur ad secundum principale Scotti.

(6) Hæc verba non sic expressæ reperiantur apud Gregorium. In 10. *Moralium*, cap. 41 (rec. 9, vet. 14), ostendens discrimen vanitatis ab iniquitate, dicit: *Vanitas mentem obnubilat, iniquitas curat*.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Quod peccatum veniale non potest dimitti, voluntate manente ad illud.

Hanc ponit sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 2, art. 1, in solutione primæ questionis, dicens: « Peccatum quodlibet potest dimitti vel remitti quoad duo: scilicet quantum ad culpam, et quantum ad reatum. Non autem potest esse secunda remissio sine prima; quia quamdiu manet culpa, manet debitum poena. Culpa autem in deordinatione voluntatis consistit. Unde non potest culpa remitti, nisi reordinetur voluntas; quod esse non potest quamdiu in ipsa deordinatione manet, alias duo opposita essent simul vera. Et ideo nullo modo potest dimitti veniale, quamdiu voluntas ad illud manet. — Item, manente causa, non potest tolli effectus. Sed adhaerentia voluntatis inordinata ad aliquid, erit causa venialis peccati. Ergo, manente voluntate fixa in illo, non potest ipsum remitti. — Item, affectus ad opus habet rationem peccati, sicut et ipsum opus venialis peccati. Sed opus venialis peccati, dum manet, non permittit veniale peccatum dimitti. Ergo nec affectus ad ipsum manens. » — Hæc ille. — Ex quibus patet multiplex ratio pro conclusione.

Secunda conclusio est quod unum peccatum veniale potest dimitti sine alio veniali.

Hanc ponit ibidem, in solutione secundæ questionis, dicens: « Ea que non habent connexionem ad invicem, unum potest auferri sine alio, sed que habent aliquo modo connexionem, unum non potest sine alio auferri. Peccata autem mortalia, quamvis non habeant connexionem ex parte conversionis, habent tamen connexionem ex parte aversionis; quia ab uno incommutabili bono avertunt. Et ideo unum sine alio remitti non potest; cum remissio culpe magis respiciat per oppositum aversionem quam conversionem, quia culpa remittitur cum homo restituatur ad id a quo culpa separavit. Venialia autem non habent connexionem, neque quantum ad conversionem, neque quantum ad aversionem; cum in eis nulla sit aversio a fine, etsi sit aliquis defectus in actu eorum que expedient ad finem. Et ideo unum veniale potest dimitti sine alio. — Item, majoris gratiae est remissio peccati mortalis quam venialis. Sed unum peccatum veniale manens fixum in corde, non impedit remissionem peccati

mortalis. Ergo multo minus impedit remissionem alterius venialis. » — Hac ille.

Tertia conclusio : Quod peccatum veniale non potest dimitti sine mortali, vel mortali remanente.

Hanc ponit ibidem, in solutione tertiae quæstiunculae, dicens : « Remoto priori, removetur posterius; nec posterius restituitur, nisi priori restituto. Fervor autem charitatis, cui veniale opponitur, est posterior ipsa charitate. Unde quamdiu charitas non restituitur, nec fervor charitatis reparari potest; in qua reparatione consistit venialis peccati dimissio, sicut et in reparatione charitatis dimissio mortalium. Et ideo non potest veniale dimitti ei cui mortale non dimittitur. Potest etiam ratio assignari ex parte remittentis : quia a Deo, qui solus peccata dimittit, peccatum mortale separat; et ideo effectum ejus in remissione peccati venialis habens, peccatum mortale non percipit. Similiter ex parte ejus quo sit remissio, scilicet charitatis, quæ universa delicta operit, *Proverb. 10* (v. 12), quam peccatum mortale tollit. » — Hac ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Quidquid repugnat cuilibet fervori charitatis, impedit remissionem peccati venialis. Sed peccatum mortale est hujusmodi. Igitur, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONENTUR OBJECTIONES

§ 1. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, argendum est contra conclusiones. Et quidem contra tertiam, que respondet directe ad questionem, arguit Durandus (dist. 46, q. 2).

Primo. Quia peccatum mortale differt a veniali, eo quod in mortali sunt tria : scilicet culpa, que consistit in deordinatione actus; offensa, que consistit in privatione gratiae (non enim Deus dicitur offendii peccatori secundum affectum, sed secundum effectum, in quantum peccatorem privat gratia, que habetur ad amicum); tertium est pena, que peccato mortali debetur. Propter quod ad remissionem peccati mortalis requiritur reordinatio voluntatis per contritionem, contra culpam; restitutio gratiae, contra offensam; commutatio penae aeternae in temporalem. Sed in peccato veniali est quedam culpa, propter deordinationem actus; sed non est ibi offensa praedicto modo accepta, quia peccatum veniale de se non tollit gratiam; et est ibi pena debita, sed

sinita. Ergo ad remissionem ejus solum requiritur reordinatio voluntatis per debitam disiplentiam ejus quod indebet placuit, et solutio poenæ sinita; non autem restitutio gratiae, quæ non est amissa ratione peccati venialis. Sed haec possunt fieri ab homine existente in peccato mortali. Igitur, etc.

Secundo. Quia ponatur quod puer non baptizatus, existens in originali, quando venit ad ætatem in (z) qua primo potest peccare, peccet venialiter, et statim moriatur. Aut punietur in inferno pro peccato veniali pena finita, vel infinita. Si finita, fortiori ratione potuit eam in praesenti vita solvere, si vixisset, non obstante peccato originali, cum quo non stat gratia. Si infinita, videtur inconveniens, cum, secundum taxationem divinam, peccato veniali non debeatur nisi pena finita.

Forte dicetur quod puer veniens ad ætatem in qua potest peccare, nunquam peccat primo venialiter, sed mortaliter. — Sed hoc est manifeste falsum in pueris tam baptizatis quam non baptizatis. Multa enim sunt delicta puerorum, que ab omnibus reputantur venialia, antequam aliquis judicet eos peccasse mortaliter.

Tertio. Quia, secundum omnes, per opera bona facta extra charitatem, meretur aliquis, saltem de congruo, aliquod bonum temporale. Sed expiatio penae temporalis debite peccato veniali, est quoddam bonum temporale. Ergo per bona opera facta extra charitatem potest aliquis mereri apud Deum expiationem talis penae. Et sic existens in peccato mortali poterit per aliqua bona opera penalia satisfacere de pena peccato veniali debita.

Quarto. Quia, si aliquid obstaret, potissimum videatur quod pena non est apud Deum satisfactoria, nisi quatenus acceptatur; sed ab homine qui est in peccato mortali, quidquid fit, non acceptatur a Deo, cum sit inimicus; ergo non est satisfactorium pro aliquo peccato quantumcumque veniali. — Sed hoc non obstat. Quia aliquid potest esse acceptum duplicitate. Uno modo, tanquam remunerandum vita aeterna; et talis acceptatio non est nisi per gratiam. Alio modo potest aliquid esse acceptum Deo, tanquam remunerabile aliquo bono temporali; et sic bona facta extra charitatem sunt Deo accepta. Et quia carere malo habet rationem boni, ideo bona facta extra charitatem sunt Deo accepta (6), non solum ad adipiscendum temporale, sed etiam ad expiationem penae temporalis peccato veniali debita. Et in hoc est evanescutum totum fundamentum tue opinionis : ex hoc enim solo ponis peccatum veniale non posse dimitti sine mortali, quia nihil potest esse Deo acceptum sine gratia; hoc autem falsum est, nisi de sola acceptatione ad meritum vitae aeternae.

(z) in. Om. Pr.

(6) a verbis *Et quia usque ad accepta, om. Pr.*

Quinto. Quia ratio tuae positionis non cogit. Cum enim dicis quod peccatum mortale opponitur charitati, veniale autem fervori charitatis; — dicendum quod ex neutra parte est oppositio formalis. Cum enim utrumque peccatum, tam mortale quam veniale, formaliter consistat in deordinatione actus, utriusque tantum opponitur reordinatio actus formaliter. Charitas autem vel fervor charitatis nulli eorum opponitur formaliter. Sed charitas consecutive opponitur peccato mortali, quia non stat cum deordinatione actus peccati mortalis. Fervor autem charitatis non opponitur peccato veniali: nec formaliter, ut dictum est; nec consecutive, quia cum peccato veniali stat charitas et fervor charitatis. Fervor enim charitatis aut intelligitur intensio charitatis quantum ad habitum, et iste nunquam diminuitur per quocumque peccatum; aut intelligitur de intensione charitatis quantum ad actum, et talis fervor non opponitur veniali, quin cum tali fervore possit manere peccatum veniale. Nec talis fervor sufficit ad deletionem peccati venialis, sine aliqua displicentia vel contritione; sola autem displicentia vel contritio sufficit ad deletionem peccati venialis, sine tali fervore. Et ideo minor dictae rationis est falsa, etc.

Sexto. Quia dictum Gregorii non juvat: quia peccatum veniale non obscurat per diminutionem luminis gratiae vel charitatis; quia, secundum omnes, licet gratia et charitas possint augeri, nunquam tamen minimeantur. Et ideo non oportet quod venialia dimittantur per intensiorem luminis gratiae et charitatis. Dicuntur tamen obscurare, et non totaliter obtenebrare: quia, cum omne peccatum mortale fiat ex defectu luminis rationis, minor defectus est in commissione peccati venialis, quod dicitur obscurare, quam in commissione peccati mortalis, quod dicitur obtenebrare. — Haec Duranus, in forma.

II. Argumenta aliorum. — Ad idem arguitur ab aliis. (apud Petr. de Palude, dist. 46, q. 1).

Primo Quia, cum veniale possit fieri mortale et e converso, videtur quod non plus dependeat remissio venialium a remissione mortalium, quam econtra. Sed mortale potest remitti sine veniali. Ergo e converso.

Secundo. Quia pena debita veniali est finita simpliciter, et non sub conditione, sicut est de pena debita mortali confessio. Ergo potest solvi.

Tertio. Quia non est ibi offensa sicut in mortali, sed solum deordinatio voluntatis et pena finita. Ergo sufficiunt duo opposita. Ergo, etc.

Quarto. Quia quod non tollitur actu et aptitudine per peccatum, non oportet restituiri ad remissionem peccati. Sed per peccatum veniale non tollitur gratia actu, sicut per peccatum mortale; nec aptitudine, sicut per secundum. Ergo, etc.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium, respondendum est objectionibus supradictis.

Ad primum ergo Durandi, dicitur primo, quod in peccato veniali non solum sunt illa duo que tangit arguens, verum etiam tertium, scilicet aliqualis macula et offensa. Et quidem quod sit ibi aliqualis macula, dicit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 2, art. 2, q^a 4, in solutione primi. Arguit enim sic: « Peccatum veniale transiens actu, in anima manet reatu. Sed reatus fundatur super macula. Cum ergo macula non possit ab anima abstergi nisi per gratiam, sicut nec tenebra nisi per lucem, videtur quod veniale dimitti non possit sine gratiae infusione. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod macula potest esse duplice. Uno modo, per privationem pulchritudinis; et sic in veniali non manet aliqua macula, quia non tollit gratiam, quae est animae decor. Alio modo, per hoc quod pulchritudo que inest, impeditur ne exterius appareat, sicut per pulverem pulchritudo faciei sedatur; et talis macula est in veniali, quia impeditur decor gratiae ne in actibus exterius ostendatur. Unde non oportet quod talis macula per infusionem gratiae tollatur, sed per actum qui gratiae impedimentum tollat. » — Haec ille. — Simile dicit, 3 p., q. 87, art. 2, in solutione tertii, quod recitatum est (z): « Sicut, inquit, in corpore contingit esse maculam duplice, uno modo per privationem ejus quod requiritur ad decorum (puta debiti coloris, aut debite proportionis membrorum), alio modo per superinductionem alicujus impeditis decorum (puta lutis, aut pulveris); ita etiam in anima inducitur macula uno modo per privationem decoris gratiae per peccatum mortale, alio modo per inclinationem inordinati affectus ad aliquid temporale, et hoc fit per peccatum veniale. Et ideo ad tollendum maculam peccati mortalis requiritur infusio gratiae; sed ad tollendam maculam peccati (6) venialis requiritur actus procedens a gratia, per quem removeatur inordinata afflacio ad rem temporalem. » — Haec ille. — Verumtamen ista macula non est ita

(z) Hoc enim argumentum differt tantum quoad verba ab eo quod affertur ex 3. Sentent. Sic dicit: *Peccatum veniale maculam quibdam anime infect. Sed macula non auferatur nisi per gratiam, quae est spiritualis anime decor. Ergo videtur quod peccata venialia non dimittantur sine gratiae infusione.*

(6) A verbo *mortalis* usque ad *peccati*, omn. Pr.

proprie dicta sicut macula peccati mortalis; et sic debet intelligi quod idem sanctus Thomas dicit, *1^a 2^o*, q. 89, art. 1: « Macula, inquit, importat detrimentum nitoris ex aliquo contactu; sicut in corporalibus patet, ex quibus per similitudinem nomen macule ad animam transferitur. Sicut autem in corpore est duplex nitor, unus quidem ex intrinseca dispositione membrorum et colorum, alius autem ex exteriori claritate superveniente; ita etiam in anima est duplex nitor, unus quidem habitualis, quasi intrinsecus, alius autem actualis, quasi exterior fulgor. Peccatum autem veniale impedit quidem decorem actualem, non tamen habitualem; quia non excludit nec diminuit habitum charitatis et aliarum virtutum, sed solum impedit eorum actum. Macula autem importat aliquid manens in re maculata; unde magis videtur pertinere ad detrimentum habitualis nitoris quam actualis. Unde, proprie loquendo, peccatum veniale non causat maculam in anima; et si alicubi dicatur maculam inducere, hoc est secundum quid, inquantum impedit nitorem qui est ex actibus virtutum. » — Hac ille.

Quod autem in peccato veniali sit aliqua offensa Dei, ostendit ipse, presenti distinctione, q. 2, art. 4, *q^u 2*, ubi arguit sic, tertio loco: « Ei qui displicet Deo, peccatum non dimittitur. Sed habens veniale displicet Deo. Ergo quandom manet unum, aliud non tollitur, nec remittitur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod peccatum mortale ita displicet Deo, quod etiam facit ipsum peccantem Deo displicantem, inquantum pulchritudinem gratiae, quam Deus in ipso amat, anfert. Sed peccatum veniale, quamvis Deo displiceat, quia inordinatum est, non tamen facit peccantem Deo displicantem: quia non privatur claritas gratiae, sed quodammodo obnubilatur, in quantum ejus processus ad exteriora impeditur; et ideo dicit Gregorius (*z*), quod peccatum veniale obscurat, sed mortale obtendebat, etc. » — Hac ille. — Ex quibus patet quod, etsi propter peccatum veniale Deus non offendatur peccanti, tamen offenditur peccato, inquantum ipsum detestatur, et odit, et punit tanquam sibi displicens. Est ibi ergo nonnulla offensa; et, per consequens, ad ejus remissionem requiritur aliquis actus contrarius, Deo placens, in ordine ad vitam eternam, scilicet aliquis actus gratia et charitate elicitus, sicut peccatum veniale retardat a vita eterna, et a consecutione illius impedit. De hoc sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 14, sic dicit: « Peccatum remitti non est aliud quam peccatum non imputari. Unde in Psalmo (31), cum premittat (*v. 14* (*6*)), *Beati quoniam remisso sunt ini-*

quitates, quasi exponeret, subdit (*v. 2*): *Beatus vir cui non imputavit Dominus peccatum*. Imputatur autem peccatum alicui inquantum per ipsum impeditur homo a consecutione ultimi finis, qui est beatitudo aeterna; a qua impeditur homo per peccatum, et ratione culpe, et ratione poenae. Ratione quidem culpe (*z*): quia, cum beatitudo aeterna sit perfectum bonum hominis, non compatitur secum aliquam bonitatis minorationem; ex hoc autem ipso quod aliquis actum peccati commisit, incurrit quamdam boni minorationem, inquantum factus est vituperabilis, et indecentiam quandam habens ad tantum bonum. Ex hoc vero quod reus est poenae, etiam impeditur a beatitudine perfecta, que omnem dolorem et poenam excludit: *fugiet enim ibi dolor et gemitus*, Isaiae 35 (*v. 10*). Utrumque tamen horum aliter impedit in peccato veniali, et aliter in peccato mortali. Nam, in peccato mortali, homo patitur bonitatis minorationem per privationem principi ducentis ad finem, scilicet per privationem charitatis; sed, in peccato veniali, patitur homo minorationem et impedimentum per quamdam indecentiam actus, in quo, quasi impedimento existente in ipso actu quo peragendum erat in finem, retardatur, salvo tamen principio inclinante; sicut etiam grave potest impediri ne perveniat deorsum, vel propter corruptionem gravitatis in ipso, vel propter aliquod impedimentum occurrens, quo impeditur motus ejus ne ad finem naturalem perveniat. Ex parte etiam reatus poena est differentia. Nam per peccatum mortale meretur, quasi inimicuseffectus, penam exterminantem; per peccatum vero veniale, penam corrigenrem. Alter ergo remittitur peccatum veniale, et alter mortale. Nam, quantum ad culpam, ad hoc quod peccatum mortale non imputetur, oportet quod tollatur impedimentum, quod erat ex corruptione principii, per novam charitatis et gratiae infusionem; hoc autem non requiritur in peccato veniali, quia charitas manebat, sed oportet quod tollatur impedimentum per aliquem fortē impulsū repugnantem impedimento quod erat appositorum ex obice venialis: sicut impedimentum quod contingit ex gravitatis corruptione, non potest tolli nisi per iteradā generationem ejus; impedimentum vero quod esset ex aliquo obice opposito, tollitur per aliquem violentum motum removentem ipsum obicem. Sic ergo veniale, quantum ad culpam, remittitur per fervorem charitatis; mortale vero, per gratiae infusionem. » — Hac ille.

Dicitur secundo, quod, dato quod in peccato veniali non sit macula, vel offensa stricte et proprie simpliciter, sic quod per ipsam Deus offendatur peccanti, vel peccans offendat Deum; tamen ille qui habet veniale cum mortali, ratione mortalis offendit Deum, et Deus offensus est illi. Et ideo, quandom

z Chr. ex que superius dicitur, in principio ipsius sententiae, occasione verborum Gregorii.

(b) promisisset (*v. 14*) — primum versum Pr.

(c) Ratione quidem culpe. — Om. Pr.

habet mortale et caret charitate et gratia, non potest habere reordinationem voluntatis sufficientem ad dimissionem venialis, nec solutionem penae sufficientis ad hoc. De praedictis sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 10, ubi arguit sic, sexto loco: « Contingit quandoque quod aliquis in mortali moriens penit de aliquo veniali commisso, mutans in hac vita voluntatem suam quam habuerat de peccando venialiter. Sed in illa voluntate remanet anima in qua de corpore exit. Ergo non erit in eo qui sic decedit peccatum veniale post mortem. Non ergo pro eo aeternaliter punietur. » Ecco argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod peccatum postquam transit actu, potest manere reatu, quem non tollit quelibet mutatio voluntatis, sed solum illa quam charitas operatur. » — Hec ille. — Item, ibidem (arg. Sed contra), arguit sic, probando quod peccatum veniale sine charitate puniatur pena aeterna: « Quia quod pena peccatorum venialium terminetur, hoc est merito fundamenti, ut patet per Apostolum, 1. *Corinth.* 3. Quod quidem fundamentum est fides formata, ut dicit Augustinus, 21. *de Civitate Dei* (cap. 26), et in libro *de Fide et operibus* (cap. 16). Hoc autem fundamen- tum non est in eo qui cum peccato mortali decedit. Ergo pena venialium non terminabitur in ipso. » — Hec ille. — Et per totum articulum ponit quod peccatum veniale conjunctum mortali efficitur per accidens irremissible, inquantum est in subiecto privato gratia. Item, 3 p., q. 87, art. 4, sic dicit: « Remissio culpe cuiuscumque nunquam sit nisi per virtutem gratiae: quia, ut Apostolus dicit, *Roman.* 4, ad gratiam Dei pertinet quod Deus alieni non imputet peccatum; quod Glossa ibi exponit de veniali. Ille autem qui est in peccato mortali, caret gratia. Unde nullum peccatum veniale sibi dimittitur. » — Hec ille. — Item, 2. *Sentent.*, dist. 42, q. 1, art. 5, in solutione sexti, sic dicit: « Ille qui decedit cum mortali et veniali simul, punitur in inferno pro veniali, et punitur in aeternum; longe tamen minus acerba pena quam illa, quae est pro mortali. Hoc autem accedit veniali, inquantum est mortali con- junctum, quod gratiam privat, sine qua nulla pena potest esse purgativa vel expiativa. » — Hec ille. — Simile dicit, 4. *Sentent.*, dist. 21, q. 1, art. 2, in solutione tertiae questio[n]ue; et alius locis. — Ex quibus patet quod existens in mortali non potest sufficienter reordinare voluntatem suam, nec aliquam satisfactionem impendere, que sufficiat ad peccati venialis remissionem: quia nec contritio nec satisfactio est extra gratiam; reordinatio vero voluntatis est contritio, ut post dicetur.

Ad secundum respondet sanctus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 10, in solutione octavi, dicens: « Non est possibile quod aliquis decedat cum veniali peccato et originali absque mortali: quia ante usum rationis puer excusat a peccato mortali, ita ut si etiam

committat actum qui de genere suo sit peccatum mortale, non incurrit reatum mortalis peccati, eo quod nondum habet usum rationis; unde multo magis excusat a reatu peccati venialis, quia quod excusat magis peccatum, multo magis excusat et minus. Sed postquam habet usum rationis, peccat mortaliter si non facit quod in se est ad querendum suam salutem; si autem faciat, gratiam consequitur, per quam immunis erit a peccato originali. » Et si contra hoc arguitur: quia quod aliquis actu convertatur ad Deum, cadit sub precepto affirmativo; precepta autem affirmativa, etsi obligent semper, non tamen obligant ad semper; non ergo statim peccat mortaliter, si non convertatur ad Deum actu, statim habitu usum rationis; potest autem tunc peccare venialiter; ergo potest esse peccatum veniale cum originali, sine mortali; — ad hoc respondet idem sanctus Thomas, ibidem, ad 9th, dicens: « Licet precepta affirmativa, communiter loquendo, non obligent ad semper; tamen ad hoc est homo naturali lege obligatus, ut primum sit sollicitus de sua salute, secundum illud Matth. 6 (v. 33): *Primum querite regnum Dei.* Ultimus enim finis naturaliter cadit primo in appetitu, sicut prima principia naturaliter cadunt primo in apprehensione; sic enim omnia desideria presupponunt desiderium ultimi finis, sicut omnes speculationes conclusionum presupponunt speculationem primorum principiorum. » — Hec ille. — Simile ponit, 2. *Sentent.*, dist. 42, q. 1, art. 5, in solutione septimi, ubi sic dicit: « Positio illa est impossibilis. Quod sic patet: Si enim aliquid est sufficiens ad excusandum magis peccatum, multo amplius sufficit ad excusandum minus; sed imperfectio relatis excusat peccatum mortale, ut puer, nondum habens usum liberi arbitrii, mortalis reus non habeatur (x), etiamsi actum faciat qui ex suo genere peccatum mortale est; unde multo amplius excusat infante ne peccatum veniale imputetur. Et ideo non potest esse quod homo venialiter peccet ante illud tempus quo usum rationis habet, ut jam mortaliter peccare possit. Statim autem ut ad tempus illud pervenit, vel gratiam habet, vel in peccato mortali est: quia, si facit quod in se est, Deus ei gratiam infundit; si autem non facit, peccat mortaliter, quia tunc est tempus ut de sua salute cogitet, et ei operam det. Et ideo positio est impossibilis. Si tamen ponatur, per impossible, tunc talis punietur pena sensibili pro veniali in inferno, et pena illa erit aeterna. Sed hoc accedit veniali, inquantum est sine gratia. » — Hec ille.

Item, 1^a 2^a, q. 87, art. 5, in solutione secundi et tertii (b), ubi sic dicit: « Peccato originali non debetur pena aeterna ratione sue gravitatis, sed ratione conditionis subiecti, scilicet homi

(x) *habeatur.* — *habetur Pr.*

(b) *et tertii.* — *Om. Pr.*

nis qui sine gratia invenitur, per quam solam fit remissio peccati. Et similiter est de peccato veniali. Eternitas enim poena non respondet quantitati culpe, sed irremissibilitati. » — Hac ille.

Cum autem dicit arguens, quod predicta de pueris sunt manifeste falsa, etc.; — negatur. Sed sua probatio est manifeste falsa: quia illi qui judicant pueros peccare veniampt priusquam habeant usum rationis, quo possint peccare mortaliter, false judicant. Conceditur tamen quod ante usum rationis possunt facere multa, quae secundum genus suum sunt venialia peccata, non tamen in eis sunt peccata; sicut in simili dicendum est de mortalibus.

Ad tertium dicitur quod, si major intelligatur de quolibet bono temporali, falsa est. Si autem intelligatur particulariter de aliquibus bonis temporalibus solum, tunc major vera est; sed argumentum est ex puris indefinitis vel particularibus; et sic forma arguendi nulla est. Pro eius declarazione, secundum quod bona opera facta in peccato mortali, sunt meritoria de congruo, si debet dici meritum, quintuplicis boni vel premii, secundum quod ponit beatus Thomas, decimaquinta distinctione *Quarti*, q. 4, art. 3, in solutione quartae et quinque questionum. Valent enim primo ad disponendum ad gratiam; secundo, ad assuefactionem honorum operum; tertio, ad consecutionem honorum temporali, vel vitationem malorum; quarto, quia ministrant poenam inferni, non quidem quod liberent a poena quam jam quis meruit, sed quia impedit meritum poene, quia homo reatum omissionis evadit, qui hujusmodi opera perficit, et a multis peccatis retrahitur, et cum minori contemptu peccat; quinto (x), ad dilationem vel minutiōnem poene temporalis, sicut legitur de Achab, 3. *Regum*, (cap. 21).

Dicitur secundo, quod per talia opera nullus meretur de congruo aliquod bonum temporale; nec expiationem alicuius poene temporalis, que sit posterior natura infusione gratiae gratum facientis. Sic autem est de pena satisfactoria debita peccato veniali: nam expiatio talis poene presupponit remissionem culpe venialis; et remissio culpe venialis presupponit actionem et habitum gratiae, sicut patet per predicta. Unde si ut bona opera in mortali facta non sunt meritoria remissionis vel expiationis poene aeternae, eo quia illa presupponit remissionem culpe mortalis per infusionem habitus gratiae; ita non sunt meritoria remissionis poene temporalis satisfactoriae debite peccato veniali, quia illa presupponit remissionem culpe per actionem eleictum a charitate et gratia. Itimo minus sunt meritoria expiationis poene debite veniali, quam poene debite peccato mortali. Quod patet: quia talia bona opera sunt meritoria de congruo tali

quali dispositionis vel infusionis gratiae; ad gratiam autem mox sequitur poene aeternae remissio, non autem poene temporalis, immo restat persolvenda post remissionem culpe venialis quandoque et ut in pluribus. Est ergo in argumento fallacia consequentis, arguendo ab indefinita ad ejus singularem, scilicet: Bona opera in mortali facta, sunt meritoria expiationis alicuius poene temporalis; ergo sunt meritoria expiationis satisfactoriae poene debite veniali. Hanc solutionem sententialiter ponit sanctus Thomas in praesenti distinctione, q. 2, art. 4, q^{ta} 3, in solutione tertii, quod recitatum fuit in principio questionis, pro parte affirmativa, dicens: « Pena etiam hominis offensis non tollit, nisi ab eo in quem peccatum commissum est, acceptetur. Nec acceptari potest quandominut inimicitia ad ipsum manet. Et ideo, manente inimicitia hominis ad Deum per peccatum mortale, pena quantacumque veniale non purgat. Unde, Isaiae 58 (v. 3 et 4), Dominus dicit non esse accepta jejunitia eorum qui ad lites et contentiones jejunabant. » — Hac ille. Item, dist. 15, q. 4, art. 3, in solutione quinque questionum, arguit sic, in simili: « Cum nullus liberetur a pena nisi sit absolutus a culpa, quia effectus non diminuit nec tollitur nisi diminuta vel ablata causa, ideo per opera extra charitatem facta, quae neque culpam tollere neque diminuere possunt, pena inferni mitigari non potest. » — Hac ille. — Ita, in proposito, diei debet de pena debita veniali in purgatorio in foro penitentiali.

Ad quartum patet solutio per predicta: quia causam illam assignat sanctus Thomas, ut statim allegatum est. Nec valet instantia vel solutio quam dicit arguens. Quia, nisi predictum est, bona opera facta in mortali non sunt accepta Deo tanquam remuneranda (x) vita aeterna, nec aliquo bono temporali, aut expiatione poene temporalis, nisi presupponendo (x), ordine nature, in eo quipie remuneratur, habitum vel actionem gratiae et charitatis. Sic autem est de expiatione poene satisfactoriae debite peccato veniali, que ipsum veniale purgat. Secus est de aliis penis debitis in hoc seculo peccatis venialibus vel mortalibus, que non sunt peccatorum purgative, nec satisfactoriae, sed propter aliquid eis nolentibus infliguntur, puta ad initium damnationis eorum, vel gloriam Dei, vel bonum aliorum hominum: nam ad dilationem, vel diminutionem, vel preservacionem talium penarum temporali, bona opera in mortali facta valere possunt. — Sed forte arguens decipitus fuit in hoc quod pulavit peccati venialis remissionem non esse aliquid quam poene temporalis solutionem, et non distinxit inter remissionem culpe et remissionem penae. Quae duo multum distant, ut ostendit san-

(x) remuneranda. — remunerantia Pr.

(x) nisi presupponendo. — presuppositi Pr.

cetus Thomas, *de Malo*, q. 7, art. 11, ubi, postquam ostendit quid est peccatum veniale remitti quoad culpam, ostendit quid sit illud remitti quoad poenam, dicens: « Sie ergo veniale quantum ad culpam remittitur per fervorem charitatis, mortale vero per gratiae infusionem. Quantum ad poenam autem, peccatum mortale non remittitur, quia habet poenam interminabilem et aeternam; peccatum vero veniale remittitur per exsolutionem poenae temporalis finite. » — Hac ille. — Item, ibidem, in solutione decimi-septimi argumenti, sic dicit: « Remissio culpe non fit per poenam, sed per usum gratiae. » Item, in solutione principali, dicit: « Quibusdam venialia remittuntur post hanc vitam quoad culpam, eo modo quo remittuntur in hac vita, scilicet per actum charitatis in Deum, neponantem venialibus in hac vita commissis, etc. » Si vero arguens distinxerit inter illa duo, tunc false putavit veniale remitti quoad culpam per displicantiam peccati sine gratia et dilectione Dei super omnia, et quoad penam remitti per exsolutionem poenae finite extra gratiam et charitatem: quia, ut dictum fuit, sine gratia et charitate nullus dolor de peccato habet rationem contritionis, nec opus penale rationem satisfacionis, utrumque autem requiritur ad completam remissionem peccati venialis, potissimum contrito, ut post dicitur:

Adquintum dicitur quod solutionem quia dat arguens, probans conclusionem, non valet. Cui enim dicit quod fervor charitatis non opponatur peccato veniali nec formaliter nec consecutive, falsum dicit. Nec valet sua probatio: quia fervor charitatis, qui delet veniale, nullo modo stat cum illo veniali quod delet, licet possit stare cum aliis venialibus; talis enim fervor est displicantia et contritio de illo veniali, et non de aliis. De hoc sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 4, q^a 1, in solutione secundi: « Quilibet peccatum mortale opponitur cuilibet quantunque parvae charitati. Non autem quodlibet veniale opponitur etiamunque fervori charitatis. Dicitur enim fervor charitatis per similitudinem, secundum quod ad exteriora quoddammodo exhibiendo diffunditur. Ex illa autem parte qua veniale committitur, charitatis fervor non apparel, sed aliquid propter charitatem. Unde, quamvis sit fervor charitatis quantum ad aliquas, potest esse tepiditas quantum ad alia. Et sic non quilibet fervor opponitur cuilibet veniali. Unde non est similis comparatio peccati mortalis ad charitatem, et venialis ad fervorem charitatis. » — Hac ille. — Item, art. 2, in solutione secunde questionulae, sic dicit: « Peccatum veniale non dimittitur quandom voluntas manet in illo. Ipsius autem recedere voluntatem ab eo quod quis prius volebat, est displicere ei quod voluit. Talis autem displicantia dolor contritionis dicitur, quando est gratia informata. Sed sciendum quod contritio potest accipi tripliciter, vel actu, vel

habitu, vel medio modo. Habitu quidem contritio existens non sufficit ad peccati venialis dimissionem: quia tunc quicumque haberet penitentiae virtutis habitum, cuius actus est quelibet contritio, conscientus esset peccati venialis dimissionem; et sic peccatum veniale eti^m grātia esse non posset. Nec iterum requiritur quod semper adsit actualis contritio: quia sequeretur quod peccatum quod aliquis in memoria vel cogitatione non haberet, remitti non posset. Et ideo dicendum quod requiritur contritio medio modo, quando scilicet, et si actu peccatum non displicat explicite, displicet tamen implicite, quia ex virtute actus quem agit, sequeretur displicantia explicita peccati venialis, si cogitatio ad illud ferretur. » — Hac ille. — Item, ibidem, primo loco, arguit sic: « Dicit Gregorius (implicite lib. 16, *Moralium*, cap. 67, rec. 27, vet. 30): Quod est aqua ad carinum (z), hoc est veniale ad fervorem charitatis. Sed fervor charitatis potest esse sine contritione: quia aliquis potest ferventer in Deum converti, et tamen de peccato non dolere, quod est conteri. Ergo peccatum veniale potest dimitti sine contritione. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod, quamvis fervor charitatis possit esse dum homo in Deum fervitur motu charitatis, sine hoc quod de peccato veniali cogitet explicite, tamen in illo motu implicite continetur displicantia venialis peccati, vel unius, vel omnium; quia, si ferventer in Deum fertur, displicet ei omne quod a Deo retardat. Unde potest esse tam fervens motus charitatis in Deum, quod omnia venialia peccata delet, etiam sine actuali cogitatione ipsorum. » — Hac ille. — Similia dicit, 3 p., q. 87, art. 4, ubi sic dicit: « Remissio culpe fit per conjunctionem ad Deum, a quo aliqualiter separari culpa. Sed haec separatio perfecte quidem fit per peccatum mortale, imperfecte autem per peccatum veniale: nam per peccatum mortale mens omnino a Deo avertitur, utpote contra charitatem agens; per peccatum autem veniale retardatur affectus hominis, ne prompte in Deum feratur. Et ideo utrumque peccatum per penitentiam quidem dimittitur; quia per utrumque deordinatur voluntas hominis per immoderatam conversionem ad bonum creatum: sicut enim peccatum mortale remitti non potest quandom voluntas peccato adhaeret, ita etiam nec peccatum veniale, quia, manente causa, manet effectus. Exigitur autem ad peccati mortalis remissionem perfectior penitentia, ut scilicet homo actualiter peccatum mortale commissum detestetur, quantum in ipso est, ut scilicet diligentiam adhibeat ad rememorandum singula peccata mortalia, ut singula detestetur. Sed hoc non requiritur ad remissionem peccatorum venialium. Non tamen sufficit habitualis displicantia, que habetur per habitum

charitatis vel penitentiae virtutis: quia sic charitas non compateretur peccatum veniale; quod patet esse falsum. Unde sequitur quod requiritur quedam virtualis displicantia: puta cum aliquis fertur hoc modo secundum affectum in Deum et res divinas, ut quidquid ei occurrat quod enim ab hoc motu retardat, et displiceret ei, et doleret se hoc commisso, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficeret ad remissionem peccati mortalis, nisi quantum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione tertii: « Fervor, inquit, charitatis virtualiter implicat displicantiam venialium peccatorum, ut dictum est. » — Haec ille. — Ex quibus omnibus patet quod fervor charitatis opponitur virtualiter peccato veniali, uni, vel pluribus, vel omnibus, et ideo sufficit ad deletionem venialium peccatorum, unius, vel plurium, vel omnium; et quod argutus male intellexit talium fervorem; et quod displicantia quam ipse ponit, sine charitate nihil valet, vel non sufficit ad remissionem peccati venialis. Item, quod fervor actualis charitatis aliquando opponitur peccato veniali virtualiter, licet non semper; ideo aliquando tollit illud, licet non semper.

Ad sextum dicitur quod arguens insufficienter exponit dictum Gregorii: quia Gregorius non loquitur de obscuratione luninis naturalis rationis, sed luminis gratiae vel charitatis; quod quidem, licet non diminuat quantum ad habitum per peccatum veniale, minuit tamen quantum ad actum vel fervorem. De hoc sanctus Thomas, *de Mala*, q. 7, art. 2, in solutione decimiseptimi, sic dicit: « Actus potest diminui dupliciter. Uno modo, quantum ad facilitatem vel facultatem agendi, ut scilicet homo non possit tantum agere quantum prius; et sic quod diminuit actum, diminuit principium actus, quod est forma. Alio modo, quantum ad executionem actus; et sic non oportet quod illud quod diminuit actum, diminuat formam; non enim diminuit (z) gravitatem lapidis columnae que retinet ipsum ne cedat deorsum, nec diminuit virtutem gressivam hominis qui ligat ipsum. Et per hunc modum veniale diminuit actum charitatis, non autem primo modo. » — Haec ille. — Item, ibidem, in solutione decimiseptimi argumenti, sic dicit: « Fervor potest accipi dupliciter. Uno modo, secundum quod importat intensionem inclinationis amantis in amatum; et talis fervor est essentialiter charitas, et non diminuit per veniale peccatum. Alio modo dicitur fervor charitatis, secundum quod motus dilectionis redundat etiam in inferiores vires, pt quodammodo non solum cor, sed etiam caro exultet in Deum; et talis fervor diminuit per peccatum veniale, absque diminutione charitatis. » — Haec ille. — Potest tamen intelligi diminutio charitatis quoad habitum,

non solum quoad actum, aliquo modo. Unde, ibidem, in solutione quarti, sic dicit: « *Dificile mobile* non est differentia constitutiva habitus: nec enim dispositio et habitus sunt diverse species; alioquin non posset una et eadem qualitas, quae prius fuit dispositio, postea fieri habitus. Sed *facile mobile* et *dificile mobile* se habent sicut perfectum et imperfectum circa eamdem rem. Dato autem quod *dificile mobile* esset differentia constitutiva, adhuc ratio non sequeretur. Quia quod aliquis habitus fiat de facili mobilis, potest contingere dupliciter. Uno quidem modo, per se, quia scilicet non habet perfectum esse in subjecto; et sic quidquid diminueret hoc quod est *dificile mobile* circa habitum, diminueret ipsum habitum. Alio modo, per accidens, ex eo scilicet quod inducit dispositio ad contrarium: ut si dicamus quod forma aquae, per susceptionem caloris, fiat minus de *dificili mobilis*; et tamen constat quod forma substantialis non diminuitur. Et per hunc modum *vehiale* diminuit hoc quod est *dificile mobile* circa charitatem. Et per hunc modum intelligendum est hoc quod quidam dicunt, quod veniale diminuit charitatem quantum ad radicationem in subjecto, non quidem per se, sed per accidens; ut dictum est. » — Haec ille.

II. Ad argumenta aliorum. — Ad quatuor sequentia respondet Petrus de Palude (dist. 16, q. 4).

Unde ad **primum** sic dicit: « Non est simile: quia illud quo remittitur peccatum veniale, scilicet fervor charitatis, supponit illud quo remittitur mortale, scilicet charitatem; non autem e converso. — Vel, si istud negatur, saltem remissio omnis peccati est per gratiam Dei; non ex operibus hominis; alias gentilis posset satisfacere de veniali sine fide, sine qua impossibile est placere Deo; non autem remittit nisi ei qui sibi placet. Gratia autem non datur enim mortali. Ideo, etc. »

Ad secundum dicit (ibid.), quod, « licet persona sit finita, tamen requiritur quod sit Deo accepta; quod non est quaudiu persona est exosa Deo. »

Ad tertium dicit (ibid.) quod, « licet homo ex se possit deordinari et obligari ad penam, non tamen potest se ex puris naturalibus reordinare, maxime quando est deordinatus per mortale. Contrario enim est motus liberi arbitrii non solum in peccatum detestandum simpliciter, sed in peccatum detestandum propter Deum; et etiam motus liberi arbitrii in Deum super omnia diligendum. Quorum neutrum facit qui est in mortali; quia nec Deum diligit super omnia, quia tunc non adhaeret ei; nec detestatur peccatum pure propter Deum, quia tunc magis detestaretur quod est magis contra Deum. Ideo, etc. Nec similiter potest homo seipsum a reatu penae liberare, nisi a Deo per gratiam remittatur. »

Ad quartum dicit (ibid.) quod « illud quod nec

tollitur nec supponitur ad restitutionem ejus quod directe tollitur per peccatum, non oportet restituī; sed quod presupponitur, sic. Sicut per peccatum quocumque in moribus non tollitur fides, nec spes, quia peccator et credere et sperare potest; tamen de nullo peccato potest homo liberari sine fide et spe, quia sine fide impossibile est Deo placere, et sic supponitur ad omnem reordinationem. Similiter est de charitate et gratia ». — Hæc Petrus, et bene, conformiter ad predicta.

Verumtamen, ibidem, in sequentibus, dicit aliqua contraria sancto Thomae et veritati. Dicit enim, respondendo ad secundum argumentum superius solutum (x), quod « non est simile. Quia ille qui in solo originali et veniali est, potest ex puris naturalibus Deum super omnia diligere, et sic voluntatem suam reordinare; et est gratus Deo ad bona naturæ habenda, et ad mala sensus evadenda, quæ non debentur peccato originali; licet non sit gratus quoad habendam gloriam et vitandam penam damni. Sed ille, qui est in mortali, habet voluntatem deordinatam simpliciter, et est reus penæ aeternæ damni et sensus; unde non potest se ordinare; unde pro veniali cum mortali moriens in aeternum punietur. Non sic autem est de originali et veniali. Unde dico quod sine gratia potest remitti veniale in non habenti mortale actuale, non tamen cum mortali; quamvis aliqui dicant quod nec sine (ε) gratia simpliciter ». — Hæc Petrus, et male. — Quod enim dicit de dilectione Dei super omnia possibili habenti peccatum originale, falsum est, et contra sanctum Thomam, 1^a 2^o, q. 109, art. 3, ubi sic concludit : « Homo in statu naturæ integre non indigebat dono gratiae superadditæ naturalibus bonis ad diligendum Deum super omnia, licet indigeret auxilio Dei ad hoc eum moventis. Sed in statu naturæ corruptæ indiget etiam homo ad hoc auxilio gratiae naturam sanantis. » — Hæc ille. — Et de hoc multa dicta sunt, 2. *Sentent.*, dist. 28 et 29. Unde Petrus quoad hoc false dicit, et, consequenter, quoad hoc quod aliquis possit sufficierter sine gratia conteri de aliquo peccato etiam veniali.

Ad argumentum pro questione; patet solutio ex dictis in solutione tertii Durandi (γ).

Et hæc de questione sufficient. De qua benedictus Deus omne per aevum. Amen.

(x) Argumentum secundum Durandi. — Cfr. art. preced., I, secundo.

(ε) *sine*. — sic Pr.

(γ) Durandi. — Om. Pr.

QUESTIO II.

UTRUM POENITENTIA HABEAT PARTES

BUTRUM, circa eamdem distinctionem, queritur: Utrum poenitentia habeat partes.

Et arguitur quod non. Poenitentia enim est virtus et sacramentum. Sed ei, in quantum est virtus, non assignantur partes, cum virtus sit habitus quidam, qui est simplex qualitas mentis. Similiter etiam ei poenitentie, in quantum est sacramentum, non videtur quod partes sint assignandæ; quia baptismo et aliis sacramentis non assignantur partes. Ergo poenitentie nullæ partes debent assignari.

In oppositum arguitur. Quia partes sunt, ex quibus perfectio alienus integratur. Sed poenitentie perfectio integratur ex pluribus, scilicet ex contritione, confessione et satisfactione. Ergo poenitentia habet partes.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponuntur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: Poenitentia habet partes.

Hanc ponit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione primæ questiuncule; dicens: « In poenitentia non est pro materia aliqua res exterior; sicut in baptismō aqua; sed ipse actus humanus loco materiae in hoc sacramento se habet; qui per quamdam recompensationem offensam culpe precedentis tollit. In actibus autem humanis est quidam gradus ad perfectionem pertingendi, propter diversas partes hominis, quarum una aliam movet. Et ideo oportet quod diversa secundum ordinem ad perfectionem poenitentie considerentur. Et haec dicuntur poenitentiae partes. » — Hæc ille.

Simile dicit, 3 p., q. 90, art. 1: « Partes, inquit, rei sunt in quas materialiter dividitur totum: habent enim se partes ad totum (α) sicut materia ad formam; unde, in 2. *Physicorum* (t. e. 31), partes ponuntur in genere cause materialis; totum autem in genere cause formalis. Ubicumque ergo ex parte

(α) *ad totum*. — Om. Pr.